

S. 745 ad 888. Karolus imperator lenis animoque remissus cum ad gubernandum regnum simul et imperium se non sufficere metiretur, tutelam pueri videlicet Karoli Simplicis cum regni procuratione committit Odoni filio supradicti Roberti Andegavensium comitis, quia virtute militari prestare ceteris regni principibus morum et corporis elegantia videretur.

S. 748 ad 893. Ad reprimendam quorundam insolentiam superbiorum et retundendam late bachantium rabiem Normannorum de consensu principum consensus (!) ad regalis corone gestamen est concessus Odoni, quousque spatia regius puer nondum ad regnandum ydonee percurrisset etatis.

S. 756 ad 920. Karolum Simplicem regem Francorum, cum post Aquitanie regis Odonis excessum regnum Aquitanie exceperisset, sicut inter eos fuerat ante constitutum, et annos iam aliquot transcurrisset in sceptris, sed propter nimiam simplicitatem subiectorum sibi nobilium odium incurrisset, Robertus predicti Odonis regis frater magne potentie dux, amicorum suorum scilicet Rodulphi tunc Burgundie ducis et Veromandensium simul et Campanie comitis Heriberti, qui gener fuit ipsius Roberti, fultus auxilio regnique fere totius consilio deturbavit avito solio, quod ipse rex factus ascendit.

S. 757 ad 922. Auxilio Lothariensium recuperante regnum et irruente Karolo super Robertum in planitie preiacente

Ib. Fuerunt huius Roberti comitis Andegavensis filii duo, quorum Odo natu maior cum decore pariter et probitate regni precelleret obtinuitque universis, factus est tutor et procurator regis Francorum Karoli, qui dictus est Simplex, adhuc infra puericiam existentis; sed iam sublati e medio Francorum regibus, tercio de eodem genere Ludovico et Carlomagno, qui fratres eiusdem Caroli fuerant, sed non uterini, ad retinendam autem quorundam inobedientiam superbiorum de regni totius assensu consensus ad regie corone gestamen ad tempus est eidem Odoni concessus et alter illius frater Robertus dux ab eodem Senonensis et Turonensis provincie constitutus.

Ib. Hic eundem Karolum, fratris alumpnum, cum post eiusdem sui fratris excessum idem Karolus annos iam aliquot transcurrisset in sceptris, sed propter nimiam simplicitatem subiectorum sibi nobilium odium incurrisset, generorum suorum scilicet Radulfi tunc Burgundie ducis et Veromandensium simul et Campanie comitis Heriberti fultus auxilio regnique totius fere consilio deturbavit avito solio, quod ipse postea rex factus ascendit.

Ib. Sed auxilio Lothariensium recuperante regnum et irruente Karolo super ipsum in planicie preiacente civitati